DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO.

Auctore MICHAELE BENNET.

MORBUS de quo nos agere statuimus, antiquis medicis haud ignotus fuit; sed cum Podagra inclusus sub nomine communi, vel DOLORE ARTICULORUM, quo nomine CELSO* fere designatur. Vocabulum quidem *Rheumatismus* apud PLINIUM †

* HIPP. Aph. v. 25. CELS. i. 9. ii. 1. ii. 6. ii. 7. ii. 8. iii. 27. v. 26.

† Lib. xxii. 17. et xxiii. 3.



subinde occurrit, sed sensu incerto. BOERHAVIUS quidem, atque post eum F. HOFFMANUS, princeps existit hujus morbi descriptor: ab eorum tempore passim infinitis fere scriptoribus enucleate illustratum videmus; atque hodie quidem adeo frequens est morbus non tamen in Britannia, sed etiam per littora maris Mediterranei quibus medicinam facere antiquis contigit, ut istos non Rheumatismum accuratius notasse jure miramur.

Nulla quidem regio orbis terrarum hoc malo carere inventa est; sed præter partes quasdam Americæ ad septentriones spectantes, frequentissime circa Britanniarum fines imperium crudele exercet. Morbus minus olim descriptus auctoribus, quia forte aliis morbis tribuerent ejus signa, causam dedit nonnullis imaginari morbum recentiorum temporum progeniem esse, atque ex mutato victus vitæque genere, universoque usu gratorum stimulantium, corpora hominum inflammationi proniora facta esse; demum scorbuto olim gentem nostram populanti, sed hisce temporibus nusquam videndo, Rheumatismum quasi Endemicum succedaneum supervenisse. Quod quidem

mutationes supra dictæ salubres inflammationi nos quam patres procliviores reddederint haud inficiar; nuper etiam duo experientissimi medici* rem inscii corroboraverunt. Reperiunt enim ægros pessima Typhi forma laborantes, si ad aëra purum, locum commodum, transportentur, confestim morbi sui ingenium mutare, diathesinque magis inflammatoriam suo morbo exhibere. Quod si gravi febre hæc mutatio fieri potest, multo facilius occurrit in iis bona valetudine utentibus.

Sed ut morbus ab omni ævo exstiterit, locis Hippocratis et Celsi supra citatis clare evincitur; et vetustiorum scriptorum de eo silentia potius ignorantiæ hominum quam infrequentiæ morbi attribuere malim. Veluti omnia loca, sic omnis ætas et sexus, huic malo obnoxii sunt. Raro tamen infantes vel multo senio obrutos afficit, sed post primum decennium nulli immunes sunt. Inter hunc et quadragesimum annum maxime sævire solet, et ex dato Rheumaticorum numero plures annum vigesimum quintum excepisse invenies,

---

* Doctores Bateman et Welsh, in libris de Febre Continua.

sic ut haud male ætate florentes adoriri medici scripserint. Quin fœminas * plus quam mares petere dicitur; quæ quidem res ex majore eorum laxitate, haud facile explicatur.

DEFINITIO.

Rheumatismus plerisque auctoribus in Acutum et Chronicum divisus est. Cullenus qui Chronicam formam subinde ab aliis quam acuta oriri videbat, potius illam in genus diversum, sub Arthrodyniæ titulo, constituere voluit. Sed connexio adeo manifesta est, atque distinctio adeo difficilis, ut ipse Cullenus, in *Primis Lineis*, una tractare coactus sit; atque pauci hodie, aut sermone aut scriptis, Arthrodyniæ vocabulo utuntur. Nihilominus definitio ejus optima est, distincta, perspicua; atque cum definitione Rheumatismi comparata, præclaram morbi notionem præstat.

---

* In forma acuta; chronica mares sæpius aggreditur. —Vide Fowler's Report on Bleeding in Rheumatism.

"Rheumatismus.

"Morbus ab externa, et plerumque evidente causa; pyrexia; dolor circa articulos, musculorum tractum sequens, genua et reliquos majores, potius quam pedum aut manuum articulos infestans, calore externo auctus."

"Arthrodynia.

"Post Rheumatismum, nisum violentum, vel subluxationem; dolores artuum vel musculorum, sub motu præsertim aucti, plus minusve fugaces, calore lecti vel alio externo levati; artus debiles rigidi, facile et sæpe sponte frigescentes; pyrexia nulla, tumor plerumque nullus."

His definitionibus nihil utile addi potest; et qui quid ademerit, distinctionem inter Rheumatismum et Podagram plus æquo extenuavit.

Rheumatismus, perinde ac alii morbi ex classe Pyrexiæ, ab horroribus, lassitudinisque sensu, interdum etiam a frigore, vel algoribus per dorsum et membra extrema serpentibus, incipit. His in-

diciis calor auctus, sitis, molestia et inquietudo accedunt, atque, si actio magna sit, spiritus fit aliquantum difficilis. Nonnullis propemodum cum frigore et horroribus contemporaneus, vomitus supervenit; vel nausea saltem et insignia ad vomitum molimina. Sed hoc signum rarum est; atque cum occurrit, ambiguitatem aliquam morbo aliàs podagræ satis simili, impertiri solet. Pulsus concitus, durus et plenus est; sanguisque detractus superficiem crusta coriacea obtectam ostendit. Cutis calida et sæpenumero arida existit, sed in aliis nec paucis exemplis, sudor glutinosus inæqualiter super membra, per omne morbi tempus erumpit. Hic tamen sudor non criticus est, nec cruciatus vel minimum sublevat; facies modo pallida, modo rubra, sed, decedente febre, semper pallida; lingua alba est; alvus plerumque adstricta, licet aliis exemplis æqualis sit, nec raro soluta; quam conditionem molestam nonnulla, ex Diaphoreticis vulgo exhibitis, ut guiacum et acetas ammoniæ, exasperare et intendere solent. Urina copiam et colorem variat; modo enim paulo parcior solito excernitur rubra, acrida, absque

sedimento; modo iterum roseum, pulcherrimum quiddam matulam incrustans, demittit; atque in tempore longo, vel chronico saltem, jam febre subacta, materiam quam sedimentum lateritium medici denominare consenserunt. Prius illud rosaceum præcipitatum ex Acido Rosacico; posterius autem, ex Acido Urico, et Phosphate Calcis, constare, experimenta docent. Docent porro eam acrem, parcam, rubram, nihil præcipitantem urinam primi temporis, copiosum quiddam dejicere ex muriate hydrargyri adjecto *.

Dolor autum hujus morbi molestia et signum præcipuum est. Aliquando primum quoque est signum, et huc et illuc vagus varias corporis sedes quasi anticipatione quadam futuri morbi infestat. Non desunt quibus Rheumatismus semet semper in quadam parte corpore debiliore præsentet; namque Celsus (I. 2.) recte monet, "Raro quisquam non aliquam partem corporis imbecillam habet." Si tonsillæ inflammatione corripi consueverint, si os fractum,

* Thoms. Chem. iv. 559.

aut carnes vulneratæ fuerint, ibi primus Rheumatismi aggressus talibus manifestatur.

Hic dolor alios aliter habet, magis magisque crucians, ut febris ingravescit. Musculos voluntarios maxime afficit, eos præsertim qui cuti propiores, cœli injuriis quoque magis obnoxii fuisse videantur.

Membrorum ergo, sive superiorum sive inferiorum musculi, sæpissime vexantur, et præcipue in eorundem articulis. Sed aliæ partes haudquaquam immunes sunt. Caput, cervix, dorsum, pectus, abdomen, lumbi, perinæum, et venter ipse, si clarissimo JOANNI HUNTERO credas, hoc vitio affecta fuerunt. Quin non semper musculos voluntarios corripit, sed sæpe ex sede externa quasi subito translatus, cerebrum*, fauces, dentes, gingivas, cor, ventriculum vel intestina corripere visus est†. Sæpe quoque sine ulla manifesta causa, de alio in alium musculum voluntarium transmigrat, nec nisi raro tractum muscu-

---

* BOERHAAVE, Aph. 1491.

† Edin. Med. and Surg. Journal, July 1818. Med. and Chirurg. Trans.

lorum in tali transitu sequitur. Majores (et ex his genu) præ minoribus articulis corripit, nec minus aponeuroses atque tendines quam fibram carneam occupat. Pressu atque motu partis augetur, et sensum quasi rigiditatis cum dolore impertit. Sed non sibi constans est hic dolor uti aliarum inflammationum ; vacillat, variatque, magis etiam vehementia quam sede. Febris comitata vespere ingravescit, atque deinde per totam noctem, dolor, calore etiam lecti aggravatus, vehementer urget, sedem etiam tum maxime mutabundus. Sub initio morbi, docente HOFFMANO, pars dolens arida est, etiam cætero corpore sudoribus perfuso ; sed versus finem, hæc quoque sedes vehementer sudat.

Post dolorem quasi corpore constitutum, pars tumescere, citoque rubescere incipit. Hæc quidem inflammatio est quæ dolorem multum figere et mitigare solet, sed non fugat. Ibi fortasse ad decimum quartum diem* durabit, nec raro etiam ad vigesimum primum, licet sæpius ante recedat.

* CULLEN's First Lines, 449.

Raro in suppurationem desinit, etiamsi dubium ejus rei exemplum citaverit CULLEN ; rarius adhuc in gangrænam. Effusio quidem lymphæ in telam cellulosam vaginasque tendinum, naturalis atque constans hujus inflammationis terminatio est.

Quantum ad morbum ipsum pertinet, raro lethalis est ; et plerumque, sive medico sive natura auxiliante, in sanitatem vel arthrodyniam desinit. Metastases lethales quas aliquando notaverunt practici, sola fere mortis exempla sunt : nam paralysis* inde facta nimis obscura desinit, ut mortem præeunti Rheumatismo attribuere posses.

Hoc fere modo se habet Rheumatismus CULLENI ; sed Arthrodynia, ut definitio satis edocet, admodum diversa est affectio.

Debiles, leucophlegmaticos petere amat, tamen inter eosdem pene annos quos supra diximus. Naturales functiones corporis non perturbat. Pyrexia, rubor, sæpius etiam tumor, partis dolentis absunt. Dolor obtuse angit, motu primum exa-

---

* Edin. Med. & Surg. Journal, Jan. 1819, p. 14.

cuitur, sed quando movendo perseveratum est, tandem insigniter levatur, sic ut nuper aliquis* hac ratione morbum sanare aggessus sit. Articuli perpetuam et obscuram molestiam patiuntur, frigent, neque sudare causis idoneis cientur; nisi raro quum sudore gelido tenace affunduntur. Dolor quoque urget, frigore aucto ; calore vero diminuitur, præsertim lecti calore. Easdem fere partes ac Rheumatismus adoritur, sedem quoque ei haud absimilis identidem mutans, pars dolens, morbo etiam fugato, imbecilla, rigida, aliis facilius frigefacta, novæque Arthrodyniæ pronissima, maxime relinquitur; uti Rheumatismus partes debiliores vel casu quodam infirmatas occupat.

Hunc ad modum maximam vitæ partem continuabit, nec graviorem injuriam quam paralysin partis vel luxationem inducere nota est. Quod Benjaminus Bell, atque alii scriptores de aqua in articulis colligenda scripserint, cum Culleno† ambiguus hæreo. Anchylosin et Para-

---

* Balfour on Rheumatism ; etiam, Edin. Med. & Surg. Journal, April 1815.

† First Lines, 448.

lysin *partialim** inter terminationes Rheumatismi, auctores haud sine causa recensent.

Cum Arthrodynia totam sæpe vitam duret, cadavera incidendi crebræ fiunt occasiones. Præter tamen membranas crassas et induratas vicinisque organis adhærentes, glutinamentum demum quoddam tendinum thecis infusum, nihil memoratu dignum reperitur. Ex Rheumatismo acuto mortes rarissimæ sunt, atque talium corpora explorata, eadem fere quæ supra indicia exhibent.

CAUSÆ.

1. *Causæ Prædisponentes.*—Certi morbi, notissimum est, proclivitatem quandam ad seipsorum reditum gignere consuerunt. Neque minus notum est, alios plurimos morbos, si semel aliquem corripuerint, non solum ipsum pessundare, sed etiam innocentem progeniem per longam annorum seriem ex eo, quasi fonte venenato profluentem, corrumpere. Hujusmodi sunt Mania, Scrofula, et ut aliosom ittam, Podagra. Eandem

---

* Greg. Conspect. 381.

indolentem Rheumatismo esse plurima docent, adeoque pater rheumaticus pro causa prædisponente jure habetur.

Temperamentum sanguineum, ætas florens, ad Rheumatismum confert. Leucophlegmaticum, imbecillum, vita sedentaria, non exercitata, nec solis ardoribus exposita, Arthrodyniæ homines proclives dare observantur: hinc nautarum sæpe citata immunitas facile intelligitur; nam ii, utcunque frigoribus expositi, vehementi et sana exercitatione uti solent.

2. *Causæ Excitantes.*—Hæ necessario semet in easdem species ac morbus ipse dividunt. Primæ speciei, seu Rheumatismi Culleni, causa perpetua est frigus; saltem nondum satis accurate aliam causam generalem detexerunt medici. Quod autem aliæ causæ existant, inde ducitur, quod sæpenumero morbus occurat quem ad frigus ullo modo vestigare nequimus. Cullenus quoque Odontalgiam ex dente corrupto, pro morbi causa posuit; nec male, quoniam sæpe inde dolorem et ruborem vere rheumaticum, per faciem et caput migrare videas.

Frigus quidem variis, fere infinitis causis, originem sumit. In nostris terris, ædificiorum constructio causa est haud levissima; nam conclavia quæ habitamus, *calore radiato* tantum temperantur, cujus natura est, pro ratione quadratæ distantiæ debilitari. Hoc fit ut 1o pede foco distans, aliquis calorem magnum quidem vixque tolerabilem patitur; sed 2o pede remotus, quantam tantum hujusve ardoris patietur; 3o pede nonam partem, atque deinceps eadem ratione minuitur. Hinc fit, ut nisi aër conclavis *communicatione* calesceret; posterior portio hominis pedem transversi quartam partem caloris tantum acciperet quam anterior subit. Sed etiam aëre adjuvante, valde inæqualis inde fit corporis calefactio, sicut hyeme sæviente alia pars corporis calere alia frigere soleat. Crebræ atque ut mos jubet vestium mutationes alia est frigoris gignendi causa; nec minima fortasse majoris apud nos hodiernos Rheumatismi frequentiæ, sed cœli intemperies, tempestatum assidua mutabilitas, præcipuæ sunt causæ quæ istum morbum excitant. Hinc est quidem ut plagæ frigidissimæ minus eo vexantur.

Cœlum quoque Britannicum humore suo vix minus quam frigore nos, ad Rheumatismum dat proclives. Namque magno oceano quasi fluitantes insulani, ventis ab occidente humidissimis patemus, unde et subita frigora et subitos calores subire cogimur. Corpus his madefactum, nisi evaporatione facta non iis levatur vaporibus; sed vaporatio est fons algoris longe uberrimus. Eundem a vaporatione algorem in numeris exemplis morbum concitare videmus; ut si quis madidis vestibus indutus sit, vel linteis parum siccis cubuerit; somnum sub dio, cœlo algescente, humescente, carpserit, frigori demum vel humori aliquo modo sese exposuerit. Rheumatismus Chronicus seu Arthrodynia originem sæpissime a Rheumatismo acuto derivat; nec raro ab omnibus causis quæ cum affectum generare consueverunt. Sunt tamen ei causæ propriæ; ut nisus violentus vel subluxatio; nec non ictus vel injuria quævis externa. Sæpe quoque perinde ac Rheumatismus acutus, sine causa manifesta exoritur.

Causa proxima.—Quando medici olim morborum humani generis maximam partem humori-

bus vitiosis oriri credebant, nihil probabilius erat, quam ut acris aliquis humor, in parte Rheumatismo affecta, morbum excitare putaretur. Neque quidem facile est videre, cur acrimonia aliqua in partibus, urens, dolorem et inflammationem concitet, uti CULLENUS bene notavit: nullo documento fulcitur, atque per se satis improbabile est. "It has been imputed to a peculiar acrimony; of which, however, in ordinary cases, I can find no evidence; and, from the consideration of the remote causes, the symptoms, and cure of the disease, I think the supposition very improbable*."

COTUNNIUS nervum suspicatus est, atque ischiadem nervosam descripsit, quæ Ischiadem Rheumaticum utique vehementer simulat. Alios vidimus huic sententiæ quoque subscribere; sed cum Neuralgia plerumque sine febre sit, Rheumatismus febrem valde acutam habeat, pro eodem morbo recipi non possunt.

Doctorem LATHAM †, quondam lymphaticis tribuisse video; quæ quidem conjectura veram

---

* First Lines, 445.

† On Rheumatism.

an falsa sit non facile ostendes. Certe signa non explicat, atque inflammatio lymphaticorum ab aliis causis, signa diversissima edere solet.

Boerhaavius scribit: "Causa proxima ejus videtur inflammatio in arteriis lymphaticis membranarum quæ ad ligamenta juncturarum non tam sæva ut in suppuratione est*." Hæc opinio fere Culleno placuit, qui frigus spasmum in vasis minimis articulorum efficere, indeque inflammationem quandam fibrarum, et membranarum, necessario gigni, putavit; inflammatione propter causam excitantem non præsentem, nec in gangrænam, nec in suppurationem, terminationes suas solitas, desinente. Cum hac sententia plerique ex hodiernis medicis consentiunt.

RATIO SYMPTOMATUM.

De signorum ratione tunc tantum utiliter scribemus, quando causa proxima melius innotu-

* Aphorism. 1493.

erit. Interim omnes ejusmodi explicationes incertes cadunt. Causa enim hodie accepta pro nihilo habita; Quam causam aut rationem aliquis fingere poterit, cur morbus de loco in locum vagabundus migret? Cur cum odontalgia, paralysi, affectibus adeo diversis, nexum manifestum sustineat? Cur demum prout cum vel sine febre fuerit, modo dolorem ex calore, modo solatium percipiat? Audax utique fuerit, nec sine virium suarum confidentia, qui has quæstiones, etiam qualibet concessa morbi Theoria, solvere in se reciperet.

DIAGNOSIS.

In præludiis diximus, antiquos viros Rheumatismum cum Podagra confudisse; nec mirandum, quoniam hodie, etiam, characteribus morbi utriusque clarius perspectis, haud raro in iis discernendis falluntur ægri: Nam hic princeps est morbus cum quo confundi potest Rheumatismus.

Primo notare medicum oportet, an æger podagrica labe vitietur; deinde, annon podagra un-

quam ante hoc tempus laboraverit. Secundo, an morbis ventriculi vexari soleat æger; nam illud signum est, quod pathognomicum vocant, Podagræ. Non enim nisis raro Dyspepsiæ vel alia ejusmodi mala ventriculum occupantia, ante Rheumatismum sese ostendunt; quapropter hoc signo fiducia raro eum decipiet.

Causæ quoque horum malorum diversissimæ sunt, et fere medico et ægro ipsi facile cognoscendæ. Rheumatismus frigus, Podagra ventriculi mala, fere agnoscit.

Febris porro hos morbos comitans, differt. Febris Rheumatismi constans est, nulla remissione interposita. Febris Podagræ intervallis statis grate vehementiam relaxat.

Doloris sedes et conditiones quoque morbos istos dignoscunt. Dolor rheumaticus articulos majores occupat, raro omnino nec nisi longa morbi forma minores. Dolor contra podagricus articulos minores fere occupat, majoribus omissis; nec raro calculos iis deponit, squamulis ipsa brevi abitura; tota enim natura ejus quam Rheumatismus fugacior, vitæ enim conditio discriminationem multum adjuvabit; quoniam vix unquam

pauperes vel milites gregarii hoc vitio afficiuntur, etiamsi Rheumatismo pronissimi sint.

A doloribus scorbuticis distinguitur imprimis febre, certe pulsu non natura debiliore; dum scorbuto, color urinæ lividus, computrescentis corporis signa, debilitas ingens, notæ sunt propriæ.

Luis venereæ dolores sæpe mentiuntur Rheumatismum, aut vice versa, Rheumatismus luis ostocopos imitatur. Distinguuntur imprimis febre, quæ syphilidi nulla est; deinde situ doloris, nam in syphilide dolor media ossa occupare solet; sed dolores rheumatici circa juncturam sunt. Denique calor lecti exasperat syphilidem, mitigat rheumatismum.

A Periostitide caloris, quoque pressionis effectu dignoscitur.

Plurimi morbi eandem forte sedem ac Rheumatismus vindicantes, cum eo confundi possunt; sed hoc potius in scriptis medicorum quam in medicina facienda. Hoc numero sunt, Pneumonia a Pleurodynia per febrem; Nephritis a Lumbagine per urinalium genitaliumque affectus, atque Morbus Coxarius a Sciatica per membri deformitatem et febrem hecticam; facillime dignoscendi.

Si quando Rheumatismus abdominis musculos corripuerit, alvi conditio laxa et torminum absentia, hunc ab enteritide facile vindicabit.

PROGNOSIS.

Præsagium in Rheumatismo, sive Acuto, sive Chronico, semper faustissimum est. Nam etiamsi, ut supra vidimus, cum Paralysi et morbis internis subinde copuletur, hi potius contemporanei effectus, quam Rheumatismi progenies, habendi sunt. Metastasis ad partes internas, manifestum est, pro sede novi mali variabit.

CURA.

Rheumatismus acutus curationi idoneæ facile cedere solet; atqui Arthrodynia, licet pro tempore haud difficulter fugatur, vix aut ne vix quidem radicitus evellitur.

Utrique vero speciei multæ curationes propositæ sunt, et omnes, uti apparent, utiles fuerunt;

fortasse quia natura ipsa vehementer ad semet liberandum nititur, atque auxilia ideo laudes ejus participant. Sed quantuluscunque sit remediorum profectus in Rheumatismo, consilia medendi satis manifeste ad duo capita reduci possunt :

I. Actionem nimis vehementem, compescere.

II. Morbum, quantum fieri potest, abbreviare.

Ad primum consilium, regimen antiphlogisticum utendum erit. Nam morbus ut supra vidimus signis notissimis inflammationis, stipatur ; pulsu nimirum veloci, robusto, dolore, calore, rubore, et tumore partis affectæ, sanguine demum crusta flavida coriacea obtecto. Sub hoc nomine adhibentur sanguinis missio, purgantia, sedantia, epispastica, compressio, balneum vaporarium, frigidum, tepidum, cinchona, diaphoretica, abstinentia.

Sanguinis missio.—Sub initio morbi, calente corpore, pulsu vehementer micante, nobile atque princeps remedium est sanguinis detractio. Una fere bona evacuatio, pro ætate viribusque ægri satis erit ; sed si signa nihilo leniora appareant, corpus robustum juvenile sit, remedium iterare

nihil nocebit. Hactenus tamen progressos simul monere oportet, minime hoc remedio nimis abutendum esse; insignem inde debilitatem exoriri solere, quæ viam proclivem arthrodyniæ certo certius struet.

Quandoquidem ejusmodi timores adsunt, sanguinem tutius e parte affecta aut hirudinibus aut cucurbitis elicies. Articulis minus commode cucurbitæ aptantur; ideoque hirudines ei rei utiliores habentur.

Diaphoretica.—Ex omni hominum memoria diaphoretica in morbis febrem acutam habentibus usurpata fuerunt. Ideoque olim et nuper hoc morbo auctores suaserunt, et cum vario eventu. Boerhaavius, "discrimen in quod calidiorum usus præcipitat*," notando, eam improbare videtur; sed Cullenus, § 467. post venæsectionem, sudorem nos elicere jubet. Post illum varii scripserunt medici; sed optimi adhuc clinici hac re Culleno adhærent. Tartratis antimonii grana iij. ut vomitum efficiat, vel granum i. per uncias viii. aquæ solutum, et singulis unciis iden-

* Aph. 1495.

tidem exhibitum ut nauseam moveat, multis medela est. Alii tinctura guaiaci ammoniata, acetate ammoniæ, carbonate ammoniæ, ipecacuanha, opio, æthere sulphurico, et opio cum quadruplo calomelane, vel aliis quæ stimulum ejus minuant, composito, ad eundem finem utuntur.

Purgatio.—Hæc non nimis laudatur in Rheumatismo acuto ; si tamen alvus adstricta sit, aperire utile necessarium erit.

Sedantia.—Hoc nomine varia medicamenta exhibita sunt, ut opium, digitalis, conium maculatum, hyosciamus, et alia narcotica quorum nomina vix nisi in Pharmacopœiis videntur. Opium sedat dolorem, sed nimis stimulans est ; ideoque aut re quadam refrigerante copulari debet, aut hyosciamo et conio postponi. Refrigerantia et diluentia sub hoc nomine veniunt, et in Rheumatismo optimos præstant effectus. Digitalis nunc minus quam fuit in usu est.

Cinchona.—Hæc a FORDYCE et HAYGARTH, multum laudata est, et adhuc apud plurimos locum tenet. FORDYCE eam venæsectioni supersedere scripsit, se nunquam venam secare in Rheumatismo proponens.

Nuper autem vi et armis quasi morbum expellere conatus est, Doctor BALFOUR, Edinensis; vehementer enim partem inflammatam fascia lanea circumvolvit, gyratim ut spirale membro involucrum præstat, quo facto, inflammationem recessuram esse autumat. Quin partes dolentes ictibus et violentia pulsare recentius docuit*.

In forma Chronica, plurima remedia quæ usurpata sunt, sæpe morbum mitigant, raro expellunt.

Diaphoretica optima sunt medicamenta; horum tamen nomina supra dedimus. Dolorem leniunt, nec raro, omnino pro tempore fugant.

Balneum frigidum quoque nobile est remedium, et exercitatio sub jove pleno. Hoc est præcipuum fortasse omnium remedium; nam alia potius levant quam sanant, sed multos balneo frigido sanatos videmus.

Stimulantia.—Hæc pene infinita sunt. Vapor aquæ calidæ in partem directus a BARDSLEY†, aliisque laudatur; et vesicatoria, vel cu-

D

* Edin. Med. & Surg. Journal, vol. xi. 168.

† Medical Reports. Balnea hujusmodi nunc apud Edinenses constructa sunt.

curbita sicca, parti adhibita, usui fuerunt; oleum terebinthinæ quoque, et varia olea stimulantia in partem infricata fuerunt, sæpe quidem incassum. Vis electrica cum iisdem remediis recenseri debet. Sæpe utilis est, raro curationem absolvit; atque idem, ni multum fallor, de supra laudatis remediis Balfourianis dici potest.

Postremo, temperamentum aëris non frigidum qualis migratio ad regionem calidam præstat. Cibus simplex, levis, nutriens, valde contra iteratos accessus hominem tutabit. Sed nihil est quod æque hominum defendit, ac pannus laneus corpori indusii ritu circumjectus; qui atmosphæram æquabiliter calidam circa ægri corpus conservat, atque plus ad valetudinem sospitandum valet, quam multa splendidioris nominis remedia.

FINIS.